

ALBERTI DVRETI

de struendis aggeribus ratio prima.



Vandoquidem grauior subinde bellorum necessitas existit, ac veteribus seculis propemodū incognita bella gerendi ratio hodie usurpatur, ex vsu fuerit quanpiam inire rationem construendi munitiones, ex quibus reges, principes, duces, ac ipsæ denique ciuitates vim sibi intentatam depellant: idq; adeò, vt non solum gens Christiana, cùm mutuò susceptis odiis dissidet, se se viciscim à periculo vindicet, verum etiam quò regiones, quæ Turcarum incursionibus sunt expositæ, illatam iniuriam, ac tormentorum violentiam, commodè propulsare queant. Quare equidem decreui, certam muniendi rationem præceptionibus breuiter complecti, ita tamen vt æquo animo hac in re admis- surus sim illorum iudicium & correctionem, qui longo militiæ vsu eruditæ, cōmodius quiddam afferent.

Primum igitur suaferim ne cuiusquam structuræ, quæ grauioribus bombardis bellicisq; tormētis perforēdis destinatur, muros protensos, aut ad perpendicularum assurgententes extruas. Nam muros ita cōstitutos, quantumuis crassos maiores bombardarum glandes valide impacte medios concutiūt, atq; diffundūt, adeò vt repetitis ictibus appulsiūq; iterato, superior moles quanto grauior, tanto maiore cum pondere subsecuta, inopinatè corruat. Porrò est, cum vel sumptuum inopia, vel subitò incumbens necessitas, rursum ex cespitibus munimenta coaggerare, ipsumq; circumactis fossis palesq; defixis remunire, vnde confidētius alacriusq; in hostem depugnetur. De id genus munitionibus, vel eò nihil præcipere cōstitui, quòd & sine præceptionibus facile intelligi nō ab iis, quos vel belli vsus edocuit, vel hostiū minæ exercēt, vel quòd vbi metus horiūq; terror vrgere desierit, nec neglectæ paulatim dirui, dissoluīq; solent. Verūm in ciuitate inclyta, aut celebri arce, quā mœnia turribus ac fossis ex lapide suffultis muniuntur, ibi licebit & propugnacula ex muro astruere, reliquisq; structuris ita accommodare, vt cum illorum vsus esse desierit, tamen suo modo compræhensa persistant, donec necessitate postulanti, denuò ipsis sit opus. Ideoq; ex re communis feceris, si huiusmodi munimenta diligenter validèque construxeris. Verūm si quem hic impensarum magnitudo à muniminum structura reuocabit, hac se se cogitatione sustentet, nimirum Aegyptiæ reges longè maximos sumptus facere solitos, in suspiciendis illis pyramidum substructionibus, quæ tamen ad nullum usum præter voluptatem referebantur, nos contrà minoribus expensis utiliter ædificare munitiones, quarum præsidio nos ab hostium iniuria ac malorum principum tyranide tueamur. Deinde sunt complures ad extremam inopiam redacti, ac eleemosina publica, aut priuata sustentandi, quorum operis certa mercede in dieni conductis, ad hanc rem utemur commodissimè. Vtrumque enim effecerimus, vt & rem publ. à mendicādi onere liberemus honesta rei facienda occasione proposita, & mediocri victu suppetente, minus de